



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SIGNUM ILLUD** BEATAE MARIAE VIRGINIS SACELLUM  
VULGO APPELLATAE «OUR LADY  
OF CHARITY» INTRA FINES DIOCESIS FERDINANDOPOLITANAЕ AB UNIONE  
AD GRADUM PROVEHITUR DIGNITATEMQUE BASILICAE MINORIS Ad perpetuam rei memoriam. – Signum illud  
sanctuariumque Beatissimae Dei Genetrici Mariae dicatum sub vernaculo nomine «Our Lady of Charity», Dominae  
nostrae scilicet a caritate, quod in finibus communitatis ecclesialis Ferdinandopolitanae ab Unione diu iam celebratur a  
christifidelium multitudinibus, non tantum aedificii ipsius amplitudine artisque sacrae commendatur decore, verum usu  
catholicae religionis etiam et perantiqui cultus consuetudine. Cum praeterea eadem vitae paroecialis sedes ac totius  
regionis quasi quoddam centrum apostolici operis singulariter emineret inter aedes sacras omnis insulse Luzonis, his  
ideo de causis convenienter quidem Venerabilis Frater Salvator Lazo ipse Antistes Ferdinandopolitanas ab Unione suo  
tempore poposcit ab Sede Apostolica ut ecclesia sacellum malore quodam illustraretur liturgicae gratiae ornamento,  
videlicet Basilicae Minoris titulo. Plane Nos rati confisque fore ut inde in cunctum ibi degentem clerum ac populum  
christianum plurima manarent fidei industriaeque catholicae beneficia, eiusdem Episcopi libenter obsecundavimus  
precibus. Ex sententia proin Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino harum Litterarum virtute  
constituimus ut templum, quod memoravimus, Deo consecratum cum praeclera effigie Beatae Mariae Virginis, Dominae  
nostrae a caritate, ad honorem evehatur atque gradum Basilicae Minoris, omnibus simul additis ei iuribus et privilegiis  
quae aedibus hoc nomine insignitis rite competit. Mandamus insuper ut illa singula accuratissime observentur quae  
secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII foras datum adserventur oportet.  
Contrariis quibusvis haudquaquam obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV Iulii mensis,*  
*anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright  
1982 - Libreria Editrice Vaticana